





Kern 86  
(1-54; a-g)



(17)

INDEX  
LECTIONVM

QVIBVS  
PROFESSORES  
ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE  
PER SEMESTRE HIBERNVM

ANNI MDCCCXXXVIII

OCCVABVNTVR

PRO-RECTORE  
IOANNE IOACHIMO LANGIO,  
MATHEMATVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, NEC NON  
ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSQVVM ET REGIAE  
SCIENTIARVM PORVSSICAE MEMBRO.



P. P. die xxv. Sept. MDCCXLVIII.

*Halae Magdeburgicae*, typis HENDELIANIS.



## LECTIONES

### Pro - Rectoris & Cancellarii.



**IOANNES IOACHIMVS LANGE**, Math. Prof. Publ. Ord. publicæ h. 4. *Mathesin puram*; priuatim h. 2. *Mathesin applicatam*, & h. 1. *physicam dogmatico-experimentalem* docebit. Die saturni horis 1. 3. pomeridianis occupatus erit in *Historia naturali*, ad ductum *Systematis Linnaeani* & proprii apparatus rerum naturalium explicanda.

**CHRISTIANVS L. B. DE WOLFF**, hor. 9. antemeridiana explicabit *Institutiones suas Iuris naturæ & gentium*, in quibus ex ipsa hominis natura continuo nexu omnes obligationes & iura omnia deducuntur, & vniuersæ iurisprudentiæ plenissima lux affunditur. A meridie vero hor. 3. *Metaphysicam* interpretabitur, omnis doctrinæ solidæ inconcussa fundamenta continentem. Nec deerit iis, qui vel in Mathesi, vel aliis philosophiæ partibus operam suam desiderabunt.

### LECTIONES THEOLOGICAE.

**GOTTHILF AVGVSTVS FRANCKIVS** epistolam ad Romanos interpretabitur. Paraeneticis praelectionibus ex posteriori ad Corinthios ea depromet, quae ad formandos ministros ecclesiæ ad Pauli exemplar facere possunt. Denique epistolæ ad Ephesios tractationem exegetico-practicam horis asceticis absoluet, progressurus posthac ad illam ad Philippenses.

**CHRIST. BENEDICT. MICHAELIS** publicis praelectionibus hora 111. perget in explicandis scriptis Salomonis, hisque finitis addet difficiliorem Iobi librum: priuatim vero hora 1x. Epistolas, cum Pauli ad Ebraeos, tum sic dictas Catholicas, cum Apocalypsi Ioannæ, interpretabitur.

**SIGISM. IAC. BAVMGARTEN** b. c. Deo praeter scholas priuatissimas exegeticas et disputatorias, priuatim h. viii. *theologiae dogmaticae* parte altera finita propediem priorem redorietur, et h. xi. *theol. antitheticam* auspicabitur, publicè autem h. 1111. post *hermeneuticam* sacram ad finem perductam *notitiam litterariam* librorum theologorum proponet.

**IO. HENR. CALLENBERG** *Historiam ecclesiasticam Noui Testamenti* pertractabit: perget quoque *Theologiam dogmaticam* tradere sermone latino, praecipue in exterorum vsum; in *Isagogica* schola, absoluta *antithetica*, ad eas, quae restant, *Theologiae* partes progredietur.

**IO. GEORGIUS KNAPP** in explicanda *theologia dogmatica* perget, alteram illius partem *anthropologiam* scilicet hac hieme tractaturus & absoluturus. Constituit praeterea libros ecclesiæ *symbolicos tractatione historica & dogmatica illustrare* ac simul *praecepta homiletica* tradere. Die Domini vero h. v. vi. in *tractatione ascetica epistolae posterioris ad Timotheum* perget.

### IVRIDICAE.

**D. IAC. GABR. WOLF** publicè, hora 111. *iurisprudentiam suam ecclesiasticam*, omni fide atque industria, *quinque per hebdomadam diebus*, docebit, atque hoc semestri, & quod excurrit, aliquot septimanarum intervallo, absoluet. Priuatim autem hora viii. matutina **HEINECCI** *elementa iuris civilis, secundum ordinem institutionum adornata*; hora ix. *elementa sua iuris feudorum, tum provincialium, tum imperialium*; denique hora xi. **V. C. IO. IAC. MASCOVII** *principia iuris publici I. R. G.* vberioribus suis commentationibus illustrabit. *Initium finitis nundinis Lipsiensibus, A. S. N. facturus.*

**CAR. GOTTLIEB KNORRE** Hora XI. *Institutiones Iustinianæ* ad filum *Elementorum HEINECCI*, Hora x. & 11. vero *Pandectas Ludouicianas* interpretabitur. Rogatus quoque aperiet Collegium practicum elaboratorium ad ductum *der gründlichen Anleitung zum Gerichtlichen Proceß*, quae venditur in officina Rengeriana, simulque tradet *principia artis velatoriae.*

**IO. SAMVEL FRIDERICVS BOEHMER** per instans semestrem hybernum hora viii. docebit *principia iurisprudentiæ criminalis*; hora 1x. exponet *ius canonicum secundum compendium B. PARENTIS*, vsu eiusdem in foris *protestantium* ostensurus, & dogmata ex *Historia ecclesiastica* vbique illustraturus; hora x. & 11. eiusdem compendium *pandectarum* praelectionibus destinabit; denique **B. HEINECCI** *elementa institutionum* hora xi. explicabit, initium finitis nundinis facturus.



IO. TOBIAS CARRACH *privatim* 1) B. DN. BOEHMERI *Tractatum de Actionibus* hora VIII. explicabit: 2) atque EIVSDEM *Institutiones Iuris Canonici & Ecclesiastici* Protestantium hora IX. interpretabitur. 3) Ad LVDOVICI *Pandectas* commentabitur horis consuetis, 4) vt & ad HEINECCI *Elementa Iuris Civilis* ad ordinem *Institutionum* hora XI. 5) In *collegiis Processualibus* quoque paratum se praestabit illis, qui manuentionem desiderant, eumque hac de re ante collegiorum initium adeunt. 6) Rogatus *Feudale lus* STRUVIO praecunte concedet hora III.

DANIEL NETTELBLADT *publice* hor. VIII. IX. Mercurii & Saturni diebus in sua *Praecognita vniuersae eruditionis* commentabitur. *Privatim* vero versabitur in illustratione 1) systematis sui *Iurisprudentiae naturalis* hor. IX. X; 2) systematis sui *vniuersae iurisprudentiae positivae* hor. X. XI. & II. III; 3) compendii *iuris publici* SCHMAUSSIANI hor. XI. XII; 4) *elementorum iuris canonico-pontificio-ecclesiastici* V. C. IO. RVD. ENGAV hor. III. IV. illorum simul haud defuturus desiderio, qui PÜTTERIANI *conspetus rei iudiciariae imperii* sigillatim *ivrium & praxeos annorum supremorum imperii tribunalium* explicationem, vt & *collegium disputatorium* desiderarunt, si de horis commodis tempestive cum eo convenient.

## MEDICAE.

MICHAEL ALBERTI *Laboribus publicis* prosequetur Speciali tractatione *Pathologico-Practica Affectus Grauidarum*. *Privato* studio finitis Collegiis *Pathologico & Materiali* hor. X. *Physiologiam*, hor. XI. *Semioticam Practicam & hor. II. Therapiam* Generalem vol. D. exordietur.

IO. IVNCKER *publicis* lectionibus continuabit Iustrationem medicamentorum, quae in officinis composita profant, & farraginis inutilis censione vitium compositionum delectum adhibebit. *Privatim* hora decima medicinae fundamenta *physiologico-pathologica*, vndecima autem *morborum* therapiam docebit. *Privatissime* consuetas clinicas exercitationes perpetuabit.

ANDREAS ELIAS BÜCHNER, *publicas* illas *praelectiones*, quas praecedente semestri indixit, in gratiam vero Dñi. Philitarorum cum aliis commutavit, nunc auspiciabitur, fundamenta nimirum *methodi medendi*, tam *prophylacticae*, quam *curatoriae*, ex institutionibus celeb. BOERHAAVII, horis atque diebus consuetis expositurus. *Privatim* autem hora VIII. matut. *Therapiam generalem*, hora X. *specialem morborum historiam & aetiologiam*, & hora XI. *generalia Pathologiae fundamenta*, debita explanabit perspicuitate, horumque laborum initium finitis nundinis, die XX. Octobr. faciet.

FRIDERICVS HOFFMANNVS *Publice* hora IX. X. *physiologiam*; *Privatim* vero hora X. XI. *pathologiam*, & hora XI. XII. *materiam medicam* praeleget. *Initium* harum lectionum erit finitis instantibus nundinis Lipsiensibus.

PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER D. *privatim* hora IX. ad XI. *secundorum corporum* methodum ostendet, hora III. *anatomem humani corporis* in cadaueribus demonstrabit, simulque doctrinam de ossibus exponet: *publice* vero duce B. HOFFMANNO de *methodo, ordine & legibus medendi* tam naturae quam artis disferet.

## PHILOSOPHICAE.

CHRIST. BENED. MICHAELIS, praeter lectiones theologicas supra significatas, hora X. aut si qua erit commodior, prioribus hebdomadae diebus *Syriaca* ad ductum *Syriacismi* sui, posterioribus vero *Rabbinica* ex Hosea illustrato, qui *Helmstadii* prodit, docebit.

MICHAEL ALBERTI *Physicam Specialem* publico officio tradere perget.

ANDREAS ELIAS BÜCHNER, *publicis* recitationibus destinavit *Cosmologiam* & doctrinam de *elementis*; *privato* autem studio occupatus erit in explicandis *dogmaticae Physicae* fundamentis, horasque operis hisce destinandas suo tempore e *valvis* publicis indicabit.

DANIEL STRAEHLER a graui & difficili morbo, quo omnes vires nimis oppressae sunt, non solum non restitutus, sed magis afflictus, ex imbecillitate inde orta, ad labores academicos redire non audet.

D. FRIDERICVS WIDEBVRG, Deo propitio a X. XI. *Historiam Vniuersalem*, ab XI. XII. *Historiam Imperii Germanici*, tradet. Docebit identidem *Iuris Publici Prudentiam*, & ad *Capitulationem nouissimam* praelectiones instituet. Neque is de-  
erit,



erit, qui humanioris litteraturae exercitationes desideraturi sunt. Initium facturus finitis nundinis Lipsiensibus.

IO. HENR. CALLENBERG Itagogaicae scholae, supra commemoratae, *disciplinarum historiam* addet: praeterea institutionem linguae *Arabicae & iudaicae* litteraturae exercitamenta profectetur.

IOANNES FRIDERICVS STIEBRITZ in *oeconomicis* diligenter perget. Priuatim lectiones *cursorias graecas, logicas & Metaphysicas* restaurabit. Nec iis deerit, qui scholas ebraicas in *Pentateuchum & Iesaiam* desiderarunt.

GE. FRID. MEIER interpretabitur hor. IX-X. *Metaphysicam* Cel. BAYMGARTEN, X-XI. eiusdem *Ethicam philosophicam*, II-III. *Logicam* Perillustr. L. B. de WOLFF. Publice III-IV. dierum Martis & Mercurii philosophiam generalem docebit. Initium fiet d. XX. Octobr. finitis nundinis Lipsiensibus.

### EXTRAORDINARIAE.

D. IOANNES FRIDERICVS IOACHIM publice in art. V. *Instr. pacis Osnaeurgensis* commentabitur. Priuatim Hora IX. *Ius feudale* ad ductum Elektoratorum V. C. WOLFFII tradet; Hora XI. *Ius Publicum Imperii Germanici* ad seriem Principiorum iuris publici V. C. MASCOVII docebit; Hora III. *Historiam Imperii Germanici* duce SCHMAVSSIO proponet; Hora IV. *Historiam uniuersalem regnorum Europae* ad filium libri sui: *Einleitung zu den Geschichten der Europäischen Königreiche*, pragmaticae enarrabit. Denique Collegium *Historiae Porusso-Brandenburgicae* aperiet selectis auditoribus.

D. HENR. BASS publice praeleget *artem obstetricandi* ad ductum HOERNII d. mercur. & saturn. hor. X. priuatim *Chirurgiam medicam* tradet hor. I. & *Affectus venereos* pertractabit hor. XI. Lectionum d. 20. Octobr. erit initium.

IO. GOTTLÖB KRÜGER publice regulas tradet cuiuslibet ad *sanitatis conseruationem* necessarias. Priuatim 1) *mathefin puram*, 2) *mathefin applicatam* duce Perillustri L. B. de WOLFF demonstrabit, 3) *physicam dogmatico-experimentalem*, 4) *physiologiam & pathologiam* ipsa natura copulatas scientias secundum accuratioris methodi leges explicabit. Offert denique priuatissimas in *physicam experimentalem* praelectiones, & Nobilissimis Medicinae Studiosis exercitia in disputando. Horas e valuis publicis significabit.

D. HENRICVS CHRISTIANVS ALBERTI per instans semestre hyemale *Historiam Litterariam botanicam* publica tractatione explicabit. Priuatim vero *Fundamenta botanica* illustrabit. Initium harum lectionum ex valuis erit indicandum.

FRIDERICVS LEBERECHE publice SCHREIBERI publice B. SCHVLZII physiologiam explicabit; priuatim autem BOERHAAVII institutiones exordietur, de oculorum adfectibus ager & pro ratione temporis ac aetatis infantum morbos ad ductum SCHVLZII interpretabitur. Horum laborum initium horis cuiuslibet aptissimis & consueto tempore fiet.

CHRISTOPHORVS CAROLVS STRVMPFF publice fundamenta botanica CL. LINNAEI exponet; priuatim vero materiam medicam & chemiam pharmaceuticam docebit. Horas his lectionibus destinatas e valuis publicis indicabit.

D. ERN. ANT. NICOLAI publice SCHREIBERI elementa medicinae explicabit, priuatim pathologiam tam generalem quam specialem, materiam medicam & therapiam specialem docebit. Horas his collegiis destinatas e valuis publicis indicabit.


D. IVSTVS ISRAEL BEYERVS, P. P. b. c. D. ad instantiam nonnullorum, lectiones cultioris *styli Romani* exordietur; praeterea *artem dicendi*, duce GOTTSCHEDIO, docebit; fundamenta conscribendi epistolas ad genus saeculi, cum NEVKIRCHIO, suppeditabit, creberrimisque exercitationibus applicabit; easque occupationes horis cuiuslibet Dnn. Auditorum commodioribus applicabit. De cetero omnibus ac singulis, qui seorsim *carmina, epistolas, orationes*, ab eo desiderabunt, quouis tempore ac qualibet occasione promptus erit ac paratissimus.

ANDREAS WEBER publice collegium disputatorium in *Metaphysicam* aperiet. Horam tempestiue significabit. Priuatim H. IX-X. *Metaphysicam*, H. X-XI. *Philosophiam moralem*. H. II-III. *Logicam*. H. III-IV. *Mathefin puram* pertractabit, duce Perillust. L. B. de WOLFF. Initium praelectionum erit finitis nundinis Lipsiensibus.











(17)

# INDEX LECTIONVM

QVIBVS  
PROFESSORES  
ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE  
PER SEMESTRE HIBERNVM  
ANNI c1c1cccxxxxviii

OCCVPASVNTVR  
PRO-RECTORE  
IOANNE IOACHIMO LANGIO  
MATHEMATVM PROFESSORE PVBL  
ACADEMIAE CAESAREAE NATVR  
SCIENTIARVM PORVS



P. P. die xxv. Sept. M

Halae Magdeburgicae, typ

